

## I PHYLLIS

## LYCIDAS

E\_1 v.1 Mirabar, vicina, Mycon, per litora nuper  
 2 dum vagor exspectoque leves ad pabula thynnos,  
 3 quid tantum insuetus streperet mihi corvus et udae  
 4 per scopulos passim fulicae perque antra repostae  
 5 tristia flebilibus complerent saxa querelis,  
 6 cum jam nec curvus resiliret ab aequore delphin  
 7 nec solitos de more choros induceret undis.  
 8 Ecce dies aderat caram qua Phyllida terrae  
 9 condidimus tumuloque pias deflevimus umbras,  
 10 ah miseri ; et posthac nec tristes linquimus auras  
 11 nec dubitat saevus solacia ferre Pylemon.

## MYCON

12 Scilicet id fuerat tota quod nocte vaganti  
 13 huc illuc, dum Pausilypi latus omne pererro  
 14 piscosamque lego celeri Nesida phaselo,  
 15 nescio quid queruli gemerent lacrimabile mergi.  
 16 Phyllis ad inferias. Phyllis (si credimus) illos  
 17 ad gemitum, o Lycida, tumulique ad sacra vocabat.

## LYCIDAS

18 Eheu, care Mycon, qualis spectacula pompae  
 19 (nunc recolo) quas ipse manus quaeve ora notavi  
 20 his oculis ; his, inquam, oculis quae funera vidi  
 21 infelix ; nec me tandem dolor improbus egit  
 22 in scopulos, in saxa, rogove absumpsit eodem  
 23 ignea vis, vel saltem aliquis deus aequore mersit.

## MYCON

24 O Lycida, Lycida, nonne hoc felicius illi  
 25 evenisse putas quam si fumosa Lycotae  
 26 antra vel hirsuti tegetem subiisset Amyntae,  
 27 et nunc heu viles hamo sibi quaereret escas  
 28 aut tenui laceras sarciret vimine nassas ?  
 29 Sed tu, si quid habes veteres quod lugeat ignes,  
 30 quod manes cineresque diu testetur amatos,  
 31 incipe, quandoquidem molles tibi litus harenas  
 32 sternit et insani posuerunt murmura fluctus.

## LYCIDAS

33 Immo haec quae cineri nuper properata parabam  
 34 carmina, ab extremo cum jam cava litora portu  
 35 prospicerem et nivei venerarer saxa sepulcri,

36 incipiam ; tu coniferas ad busta cupressus  
37 sparge manu et viridi tumulum super intege myrto.

## MYCON

38 En tibi caerulei muscum aequoris, en tibi conchas  
39 purpureas, nec non toto quaesita profundo  
40 et vix ex imis evulsa corallia saxis  
41 afferimus ; tu sollemnes nunc incipe cantus.  
42 Incipe, dum ad solem Baianus retia Milcon  
43 explicat et madidos componit in orbe rudentes.

## LYCIDAS

44 Quos mihi nunc, Divae, scopulos, quae panditis antra,  
45 Nereides ? Quas tu secreti litoris herbas,  
46 Glauce pater, quae monstriferis mihi gramina succis  
47 ostendes nunc, Glauce, quibus tellure relictas.  
48 Ah miser, et liquidi factus novus incola ponti  
49 te sequar in medios mutato corpore fluctus  
50 et feriam bifida spumantia marmora cauda ?  
51 Nam quid ego heu solis vitam sine Phyllide terris  
52 exoptem miser ? Aut quidnam rapta mihi luce  
53 dulce putem ? Quidve hic sperem ? Quid jam morer ultra  
54 infelix ? An ut hac vili projectus in alga  
55 arentes tantum frutices desertaque cernam  
56 litora et ingrato jactem mea verba sepulcro ?  
57 Scilicet hos thalamos, hos felices hymenaeos  
58 concelebrem ? Sic speratae mihi gaudia taedae  
59 dat Venus ? Ambiguos sic dat Lucina timores ?  
60 Quis mihi, quis tete rapuit, dulcissima Phylli,  
61 Phylli meae quondam requies spesque unica vitae,  
62 nunc dolor aeternusque imo sub pectore luctus ?  
63 Non licuit tecum optatos conjungere somnos  
64 dulcia nec primae decerpere dona juventae  
65 aut simul extremos vitam producere in annos.  
66 Nunc te (quis credat ?) Lapis hic habet et mihi nusquam es ;  
67 nusquam terrarum Phyllis, sed fabula et umbrae  
68 frustrantur miseris per dira insomnia noctes.  
69 Me miserum, qua te tandem regione requiram ?  
70 Quave sequar ? Per te quondam mihi terra placebat  
71 et populi laetaeque suis cum moenibus urbes ;  
72 nunc juvat immensi fines lustrare profundi  
73 perque procellosas errare licentius undas  
74 Tritonum immistum turbis scopulosaque cete  
75 inter et informes horrenti corpore phocas,  
76 quo numquam terras videam. Jam jam illa tot annis  
77 culta mihi tellus, populique urbesque valet,  
78 litora cara valet, vale simul optima Phylli.  
79 Nos tibi, nos liquidis septem pro fluctibus aras  
80 ponemus septemque tibi de more quotannis  
81 monstra maris magni vitulos mactabimus hirtos,  
82 et tibi septenis pendebunt ostrea sertis,  
83 ostrea muricibus variata albisque lapillis.  
84 Hic tibi Nisaeae et flavos resoluta capillos  
85 Cymodoce mitisque pia cum matre Palaemon  
86 et Panope et Siculi custos Galatea profundi  
87 sollemnes nectent choreas et carmina dicent  
88 quae Proteus quondam divino pectore vates

89 edocuit, magni cum funera fleret Achillis  
 90 et Thetidis luctus consolaretur amarus.  
 91 At tu, sive altum felix colis aethera, seu jam  
 92 Elysios inter manes coetusque verendos  
 93 Lethaeos sequeris per stagna liquentia pisces,  
 94 seu legis aeternos formoso pollice flores,  
 95 Narcissumque crocumque et vivaces amaranthos,  
 96 et violis teneras misces pallentibus algas,  
 97 aspice nos mitisque veni ; tu numen aquarum  
 98 semper eris, semper laetum piscantibus omen.  
 99 Ut Nymphis Nereoque, ut flavicomae Amphitritae,  
 100 sic tibi victrices fundent libamina cymbae.  
 101 Interea tumulo supremum hoc accipe carmen,  
 102 carmen quod, tenui dum nectit arundine linum,  
 103 piscator legat et scopulo suspiret ab alto :  
 104 "In. Gremio. Phyllis. Recubat. Sirenis. Amatae  
 105 Consurgis. Gemino. Felix. Sebethae. Sepulcro."  
 MYCON  
 106 Dulce sonant, Lycida, tua carmina, nec mihi malim  
 107 alcyonum lamenta aut udo in gramine ripae  
 108 propter aquam dulces cynorum audire querelas.  
 109 Sed tu (sic faciles vicina Megaria semper  
 110 sufficiat conchas, sic proxima Mergilline  
 111 ostrea saxosaeque ferat tibi rupis echinos)  
 112 quandoquidem nox obscuras jam distulit umbras  
 113 necdum permensus caelum Sol, incipe rursus  
 114 atque itera mihi carmen ; habent iterata leporem.  
 LYCIDAS  
 115 Ne miserum, ne coge, Mycon ; sat lumina, sat jam  
 116 exhaustae maduere genae ; dolor (aspice) siccas  
 117 obduxit fauces quatit et singultibus imum  
 118 pectus, anhelantemque animam vox aegra relinquit.  
 119 Et tamen haec alias tibi nos et plura canemus.  
 120 Fortasse et meliora, aderit si Musa canenti.  
 121 Quin et veliferis olim haec spectanda carinis,  
 122 seu Prochytae, seu Miseni sub rupe patenti.  
 123 Inscribam grandesque notas ferrugine ducam  
 124 praeteriens quas nauta mari percurrat ab alto  
 125 et dicat : "Lycidas, Lycidas haec carmina fecit".  
 126 Sed quoniam socii passim per litus ovantes  
 127 exspectant poscuntque tuas ad retia vires,  
 128 eia age jam surgamus. Ego haec ad busta sedebo ;  
 129 tu socios invise, escas nam quaerere tempus  
 130 et tibi nunc vacuae fluitant sine pondere nassae.

## II GALATEA

E\_2 v.1 Forte Lycon vacuo fessus consederat antro  
 2 piscator qua se scopuli de vertice lato  
 3 ostentat pelago pulcherrima Mergilline.

4 Dumque alii notosque sinus piscosaque circum  
 5 aequora collustrant flammis aut linea longe  
 6 retia captivosque trahunt ad litora pisces,  
 7 ipse per obscuram meditatur carmina noctem :  
 8 Immitis Galatea, nihil te munera tandem,  
 9 nil nostrae movere preces ? Verba irrita ventis  
 10 fudimus et vanas scopulis impegimus undas.  
 11 Aspice, cuncta silent, orcas et maxima cete  
 12 somnus habet, tacitae recubant per litora phocae,  
 13 non Zephyri strepit aura, sopor suus umida mulcet  
 14 aequora, sopito connivent sidera caelo ;  
 15 solus ego (ei misero) dum tristi pectore questus  
 16 nocte itero, somnum tota de mente fugavi,  
 17 nec tamen ulla meae tangit te cura salutis.  
 18 At non Praxinoe me quondam, non Polybotae  
 19 filia despexit, non divitis uxor Amyntae,  
 20 quamvis culta sinu, quamvis foret alba papillis.  
 21 Quin etiam Aenaria (si quicquam credis) ab alta  
 22 saepe vocor ; solet ipsa meas laudare Camenas  
 23 in primis formosa Hyale cui sanguis Iberis  
 24 clarus avis, cui tot terrae, tot litora parent  
 25 quaeque vel in mediis Neptunum torreat undis.  
 26 Sed mihi quid prosunt haec omnia, si tibi tantum  
 27 (quis credat, Galatea ?) tibi si denique tantum  
 28 displiceo ? Si tu nostram crudelis avenam  
 29 Sola fugis, sola et nostros contemnis amores ?  
 30 Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis  
 31 mille tibi misi, totidem sub gurgite vasto  
 32 Pausilypus, totidem vitreis Euploea sub undis  
 33 servat adhuc ; plures Nesis mihi servat echinos  
 34 quos nec vere novo foliis lentiscus amaris  
 35 inficit aut vacuae tenuant dispendia Lunae.  
 36 Praeterea mihi sub pelago manus apta legendis  
 37 muricibus ; didici Tyrios cognoscere succos  
 38 quoque modo plena durent conchylia testa.  
 39 Quid refugis ? Tingenda tibi jam lana paratur  
 40 qua niteas superesque alias, Galatea, puellas,  
 41 lana maris spumis quae mollior. Hanc mihi pastor  
 42 ipse olim dedit, hanc pastor Melisaeus, ab alta  
 43 cum me forte senex audisset rupe canentem,  
 44 et dixit, "Puer, ista tuae sint praemia Musae,  
 45 quandoquidem nostra cecinisti primus in acta".  
 46 Ex illo in calathis servavi, ut mittere possem.  
 47 Sed tu (ne qua miti superet spes, ne qua futuri  
 48 condicio, Galatea) manum mihi dura negasti.  
 49 Hoc est, hoc, miserum quod perdidit. Ite Camenae,  
 50 ite procul ; sprevit nostras Galatea querelas.  
 51 Scilicet (exiguae videor quod navita cymbae.  
 52 Quodque leves hamos nodosaque retia tracto)  
 53 despicias. An patrio non hoc quoque litore Glaucus  
 54 fecerat, aequoreae Glaucus scrutator harenae ?  
 55 Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.  
 56 Sed nec (quae nimium vel me sic falsa fatigat)  
 57 fabula te moveat Lydae, licet illa puellis  
 58 jactet nescio quas mihi se misisse corollas ;

59 non me Lyda tamen, non impulit, aequora testor  
 60 Nereidasque omnes. Si fallo, naufragus illas  
 61 experiar salsosque bibam sub gurgite fluctus.  
 62 Heu quid agam ? Externas trans pontum quaerere terras  
 63 jam pridem est animus, quo numquam navita, numquam  
 64 piscator veniat : fors illic nostra licebit  
 65 fata queri. Boreae extremo damnata sub axe  
 66 stagna petam et rigidis numquam non cana pruinis  
 67 an Libyae rapidas Austrique tepentis harenas.  
 68 Et videam nigros populos solemque propinquum ?  
 69 Quid loquor infelix ? An non per saxa, per ignes,  
 70 quo me cumque pedes ducent, mens aegra sequetur ?  
 71 Vitantur venti, pluviae vitantur et aestus,  
 72 non vitatur amor ; mecum tumultetur oportet.  
 73 Jam saxo meme ex illo demittere in undas  
 74 praecipitem jubet ipse furor. Vos o mihi Nymphae,  
 75 vos maris undisoni Nymphae, praestate cadenti  
 76 non duros obitus saevasque exstinguite flammis.  
 77 Scilicet haec olim, veniens seu litore curvo  
 78 Caietae, seu Cumarum navalibus altis,  
 79 dum loca transibit, raucus de puppe magister  
 80 hortatus socios "Dextrum deflectite" dicet  
 81 "In latus, o socii, dextras deflectite in undas ;  
 82 vitemus scopulos infames morte Lyconis".  
 83 Talia nequiquam surdas jactabat ad auras  
 84 infelix piscator et irrita vota fovebat,  
 85 cum tandem extremo veniens effulsit ab ortu  
 86 Lucifer et roseo perfudit lumine pontum.

### III MOPSUS

#### CELADON

E\_3 v.1 Dic mihi (nam Baulis, verum si rettulit Aegon,  
 2 bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellae)  
 3 quid tu, quid Chromis interea, quid vester Iolas,  
 4 dum Notus insultat pelago, (leve) murmurat unda ;  
 5 ecquid desertis vacui lusistis in antris ?

#### MOPSUS

6 Quid nostrae facerent ingrata per otia Musae,  
 7 o Celadon ? Neque tum conchas impune licebat  
 8 per scopulos, non octipedes tentare paguros ;  
 9 jam fragilem in sicco munibant saxa phaselum  
 10 raraque per longos pendebant retia remos ;  
 11 ante pedes cistaeque leves hamique jacebant  
 12 et calami nassaeque et viminei labyrinthi.  
 13 Tum Chromis Inarimen spectans : "His", inquit, "ab oris  
 14 (ah dirum exsilium) nostrae solvere carinae,  
 15 cum regem post bella suum comitata juvenus  
 16 ignotis pelagi vitam committeret undis.  
 17 Quae tamen (ut fama est) Ligurum per saxa, per altas

18 Stoechadas emicuit Rhodanique invecta per amnem  
 19 (nam bene si memini, Rhodanum referebat Amilcon)  
 20 Oceani madidas vidit refluentis harenas  
 21 et quae caeruleos procul aspicit ora Britannos,  
 22 qua (nisi vana ferunt) quoties maris unda recedit,  
 23 indigenae captant nudos per litora pisces".  
 24 "Ne, Chromi, ne luctus renova", respondit Iolas,  
 25 "sat tuus haec nobis Lucrini nuper ad undam  
 26 narravit Lycabas : Solem se scilicet illic  
 27 trans fluctus trans et nubes vidisse cadentem  
 28 haud aliter quam si nostris e montibus illum  
 29 Caietae aspiceret longe post litora ferri,  
 30 nec strepitum sensisse ruentis ab aethere currus.  
 31 Praeterea mores populorum urbesque locosque  
 32 exposuit quernasque domos et lignea tecta.  
 33 Addidit et varias (heu barbara nomina) gentes,  
 34 Bellovacos Morinosque et (quos quis dicere possit ?)  
 35 Tarbellos ; latis errare et flumina campis,  
 36 nescio quem Ligerim tectis se innasse carinis.  
 37 Sed mea nunc aliae poscunt sibi pectora curae.  
 38 Tu modo, si quid habes (et te quoque Chloridis ardor  
 39 excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim.  
 40 Audiet et gracilem percurret Mopsus avenam".  
 41 Sic illi ; ast ego nil contra, sed quae mihi collo  
 42 garrula pendebat manibus tunc sumpta cicuta est.  
 43 Scilicet alternos conabar arundine versus  
 44 excipere, alternis nam dicere uterque parabat.  
 45 Nec mora ; jam Chromis hos, hos et referebat Iolas.

## CHROMIS

46 Nereides, pelagi sacrum genus, aut mihi vestris  
 47 munera ferte vadis duram queis Chlorida placem,  
 48 aut, si muneribus flecti nequit, aequore toto  
 49 quaerite quae nostrum sanet medicina furorem.

## IOLAS

50 Sirenes, mea cura, audite haec ultima vota.  
 51 Aut revocet jam Nisa suum nec spernat Iolam,  
 52 aut videat morientem ; haec saxa impulsa marinis  
 53 fluctibus, haec misero vilis dabit alga sepulcrum.

## CHROMIS

54 Qualis tranquillo quae labitur aequore cymba,  
 55 cum Zephyris summae crispantur leniter undae.  
 56 Tuta volat luditque hilaris per transtra juvenus,  
 57 talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.

## IOLAS

58 Aspicias iratae feriant ut saxa procellae,  
 59 ut validis imae Coris turbentur harenae ?  
 60 Jam scopulis furit unda, tremat jam terra tumultu ;  
 61 fallor, an haec ipsa est Nisae indignantis imago ?

## CHROMIS

62 O Proteu, pastor liquidi maris, o pater, o rex,  
 63 (quandoquidem insanos odistis, numina, fastus)  
 64 quaere Pitheculus tu, cui licet, atque superbae  
 65 dic Hyalae salsum te pascere monstra per aequor.

## IOLAS

66 Ille habet, ille meos scopulus mihi servat amore

67 qui propior terrae est ; illum pete, Glauce, natatu,  
 68 neve manus duri contemnat Nisa mariti,  
 69 dic te squamigeras traxisse ad litora praedas.

CHROMIS

70 Est Veneri Cypros gratissima, Creta Tonanti  
 71 Junonique Samos, Vulcano maxima Lemnos ;  
 72 Aenariae portus Hyale dum pulchra tenebit,  
 73 nec Samos Aenariam vincet nec maxima Lemnos.

IOLAS

74 Gradivus Rhodopen et Mercurius Cyllenen,  
 75 Ortygiam Phoebe, Tritonia jactat Hymetton ;  
 76 Nisa colit Prochyten ; Prochytes si commoda norint,  
 77 Ortygiam Phoebe, Tritonia linquat Hymetton.

CHROMIS

78 Hic specus, hic rupes texendisque optima nassis  
 79 vimina sunt, junci densaeque per avia myrtus ;  
 80 si mihi nunc Pholoe vel tantum Chloris adesset,  
 81 quam bene pugnaces possem contemnere ventos.

IOLAS

82 Nulla mihi sine te rident loca, displicet aequor,  
 83 sordet terra, leves odi cum retibus hamos ;  
 84 at si aderis tu, Nisa, placebunt omnia, laetus  
 85 tunc ego vel Libycis degam piscator harenis.

CHROMIS

86 Dat rhombos Sinuessa, Dicarchi litora pagros,  
 87 Herculae mullum rupes, synodontas Amalphis ;  
 88 Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis ;  
 89 quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas ?

IOLAS

90 In fluviis mugil versatur, sargus in herbis,  
 91 polypus in scopulis, mediis melanurus in undis ;  
 92 ante tuas, mea Nisa, fores ego semper oberro ;  
 93 quae mihi det tales jucundior insula portus ?

MOPSUS

94 Hactenus, o Celadon, resonis sub rupibus illos  
 95 inter se vario memini contendere cantu  
 96 horrida ventosi ridentes murmura ponti.  
 97 Qui tamen et laudes et munera digna tulere  
 98 carminibus, sed quae nequeat contemnere Triton :  
 99 hic, quam Circeio nudus sub gurgite cepi  
 100 nativis concham maculis et murice pictam,  
 101 ille, recurvato nodosa corallia trunco.

**IV PROTEUS - FERDINANDO FREDERICI REGIS ARAGONIO, CALABRAE DUCI**

E\_4 v.1 Nunc primum notas velis majoribus undas  
 2 currimus, o Nymphae Craterides, ordine quando  
 3 suadet amor carae primos telluris honores  
 4 dicere ; caeruleae magni Crateris alumnae,

5 telluris primos carae dicamus honores,  
6 dum radiis fervens medium Sol excoquit aequor.  
7 Tu vero, patriae juvenis decus, edite caelo,  
8 spes generis tanti, seu te nimbose Pyrene  
9 pro dulci Latio, pro nostris detinet arvis,  
10 seu vagus objecto munimine claudit Iberus,  
11 rumpe moras, nec te latis Hispania regnis  
12 alliciat stirpisve tuae primordia et ille  
13 gentis honos, licet effuso Tagus impleat auro  
14 et pater Oceanus spumanti perluat unda.  
15 Nam mihi, nam tempus veniet cum reddita sceptrā  
16 Parthenopae fractosque tua sub cuspide reges  
17 ipse canam ; nunc litoream ne despice Musam  
18 quam tibi post silvas, post horrida lustra Lycaeī  
19 (si quid id est) salsas deduxi primus ad undas  
20 ausus inexperta tentare pericula cymba.  
21 Quae vada non norunt, quis nescit Protea portus ?  
22 Illum olim veteris pascentem ad saxa Minervae  
23 mulcentemque suas divino carmine phocas  
24 e puppi sensere Melanthius et Phrasidamus,  
25 ut forte a Capreis obscura nocte redibant.  
26 Sensere et vario delphinās ludere cursu  
27 Tritonūque choris longe freta pulsa sonare.  
28 Ipse autem haudquaquam mortali digna referri  
29 verba sono vacuas laetus cantabat ad auras ;  
30 terrigena ut quondam matris de ventre Typhoeus  
31 exsiliens infanda deos ad bella vocasset ;  
32 ut fratrum primus furiis et hiantibus hydris  
33 instructus densas ductaverit ipse catervas ;  
34 ut nisu ingenti partes de monte revulsas  
35 Aenariam Prochytenque altis immiserit astris  
36 ac totum subito caelum tremefecerit ictu ;  
37 tum Pater haud segni molitus fulmina dextra  
38 immanes acies dejecerit atque trophaeum  
39 jusserit ardentes testari sulphure Baias,  
40 quod gens victa illis lavisset vulnera lymphis.  
41 Hinc magni Alcidae tauros stratumque profundum  
42 aggeribus memorat ductamque per oppida pompam.  
43 His veteres addit Cumas, loca cognita Phoebō,  
44 vatis et horrendae lucos Triviaeque recessus  
45 Cimmeriumque domos et opaca in vallibus antra.  
46 Te quoque formosae captum Nesidos amore,  
47 Pausilype, irato compellat ab aequore questu.  
48 Ah miser, ah male caute, tuae quid fata puellae  
49 acceleras ? Cupit in medios evadere fluctus  
50 infelix, cupit insuetum finire dolorem.  
51 At tibi nec curae est quod eam Neptunia monstra  
52 circumstent, mare nec rapido quod sorbeat aestu.  
53 Ah miser, ah male caute, ultra quid brachia tendis ?  
54 Siste gradum ; riget illa jugis assueta nivosis  
55 venatrix, quam mille ferae timere sequentem  
56 per saltus. Vos hanc, Panope, vos, candida Drymo  
57 Cymothoeque Rhoeque Pherusaque Dinameneque,  
58 accipite et vestris sociam lustrate choreis.  
59 Tum canit antiquas sedes opulentaque regna



60 auricomae Sirenis et altum in monte sepulcrum,  
 61 sacraque Chalcidicosque deos magnisque per aequor  
 62 auspiciis vectas haec ipsa ad litora classes.  
 63 Tum liquidos fontes subter cava moenia ducit  
 64 attollitque arces et culmina montibus aequat  
 65 tectorum, vastas protendit in aequora moles  
 66 Euploeamque procul trepidis dat cernere nautis  
 67 atque Pharon ; jungit scopulos praeruptaque saxa  
 68 Teleboum Sarnique amnes et pingua culta.  
 69 Tum canit ut Corydona sacro Melisaeus in antro  
 70 viderit et calamos labris admoverit audax  
 71 formosum quibus ille olim cantarat Alexin,  
 72 dixerat et musam Damonis et Alphesiboei,  
 73 queis fretus, dictante Dea, tot sidera nobis  
 74 prodiderit, tantas caeli patefecerit oras.  
 75 Quid referam aut Stabias aut quae tenuisse canoris  
 76 virginibus fama est abeuntes saxa carinas,  
 77 aut ut terrifici sonitus ignemque Vesevi  
 78 et desolatas passim defleverit urbes ?  
 79 Postremo reges regumque ex ordine pugnas  
 80 enumerat, bellicae artes et praemia narrat.  
 81 Addit tristia fata, et te quem luget ademptum  
 82 Italia infelix (sive id gravis ira deorum,  
 83 seu fors dura tulit) trans altas evehit Alpes,  
 84 mox agit Oceani prope litora, denique sistit  
 85 spumantem ad Ligerim parvaque includit in urna.  
 86 Heu sortem miserandam, heu pectora caeca futuri !  
 87 Haecine te fessum tellus extrema manebat  
 88 hospitium post tot terraeque marisque labores ?  
 89 Pone tamen gemitus, nec te monumenta parentum  
 90 aut moveant sperata tuis tibi funera regnis.  
 91 Grata quies patriae, sed et omnis terra sepulcrum.  
 92 Haec ille et quae vix audita prioribus annis  
 93 heroum longaeva queat meminisse vetustas  
 94 commemorat (socio respondent aequora plausu)  
 95 Luna suam donec paulatim fundere lucem  
 96 coepit et ad vitreas redierunt numina sedes.

## V HERPYLIS PHARMACEUTRIA - CASSANDRAE MARCHESIAE, MULIERI PRAESTANTISSIMAE

E\_5 v.1 Sed jam vulgatos et nos referamus amores  
 2 quos pariter grata scopuli pendentis in umbra  
 3 hinc Dorylas, hinc Teleboi maris accola Thelgon  
 4 certantes docuere, quibus cava litora et ipse  
 5 aequoreus Platamon sacrumque Serapidis antrum  
 6 cum fonte et Nymphis assultavere marinis.  
 7 Tu mihi, seu doctas percurris Palladis artes  
 8 Maeoniaeque aurum et subtegmina vincis Arachnes,  
 9 seu Dryadum choreis coetuque immista Dianae

10       haud minor incedis pictaque accincta pharetra  
 11       venatu Prochyten maternaque regna fatigas,  
 12       sive Dicarcheis qua molibus assilit aequor  
 13       ludentes spectas Nereidas, en age nostros  
 14       (si quis honos pelagi) Cassandra, en aspice lusus.  
 15       Non ingrata cano penitusque injussa, neque umquam  
 16       arguerint ventura meis te saecula chartis  
 17       praeteritam ; faveat modo non invitus Apollo  
 18       et quae me facili vexere per aequora remo  
 19       Pierides, queis longa dies et nomina curae.  
 20       Interea Dorylan juvet hic audire canentem.

## DORYLAS

21       Sebethi ad liquidas descenderat Herpylis undas,  
 22       Herpylis Euboidum non ultima, quam pater Alcon  
 23       erudiit, Musis et Phoebo cognitus Alcon.  
 24       Venerat et socii partem subitura laboris  
 25       unanimes soror et calathum de more ferebat.  
 26       Ipsa comas effusa pedemque exuta sinistrum  
 27       cum philtris longum submurmurat atque ita fatur :  
 28       "Pone aram et vivos hauri de flumine rores  
 29       canaque vicino decerpe absinthia campo ;  
 30       illum illum magicis conabor adurere sacris  
 31       qui miseram tota spoliata mente reliquit.  
 32       Volvite praecipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
 33       Rhombus ad Haemonias revocetur aeneus artes,  
 34       sistere qui pluvias, qui pellere nubila caelo,  
 35       qui potis est trepidos undis abducere pisces.  
 36       Volvite praecipitem, mea licia, volvite rhombum.  
 37       Alga tibi haec primum tumidi purgamina ponti  
 38       spargitur et rapidis absumitur arida flammis ;  
 39       sic mihi, sic, Maeon, uraris adusque medullas.  
 40       Volvite praecipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
 41       Ter muscum, Clearista, ter hunc sine forcipe cancrum  
 42       ure simul "cum" que "his" dic "viscera Maeonis uro".  
 43       Volvite praecipitem, mea licia, volvite rhombum.  
 44       Spongia nunc lacrimis perfunditur. Heus bona magno  
 45       spongia nata mari, lacrimas bibe sedula nostras,  
 46       utque rapis sitiens illas sic Maeonis omnem,  
 47       Maeonis ingrati, rapias de pectore sensum.  
 48       Volvite praecipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
 49       Ut pumex, pinguescat, ut aequoris unda, quiescat,  
 50       quae ventis agitata huc illuc concita fertur.  
 51       Sed quid ego heu tristi pectus concussa dolore  
 52       imprecer et vanis jactem convicia ventis ?  
 53       Maeon tot mihi damna, ego Maeoni verba rependam ?  
 54       Volvite praecipitem, mea licia, volvite rhombum.  
 55       Huc, huc, qui rigida meditaris vulnera cauda,  
 56       saeve trigon, et tu proprium cui sistere naves  
 57       veliferas, echeneis, adeste et Maeonis acres  
 58       Tu retinere pedes, tu figere corda labora.  
 59       Volvite praecipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
 60       Tunde jecur spumamque simul torpedinis atrae.  
 61       Haec ego cras illi lethalia pocula mittam ;  
 62       ebibat et subito pallentes torpeat artus.  
 63       Volvite praecipitem, mea licia, volvite rhombum.

64 Scinde manu leporem ; leporis penetrabile virus  
 65 nascitur Eois hic fluctibus ; attulit Aegle,  
 66 docta Aegle, jussitque inimicum tangere limen.  
 67 Curre age, tange simul, simul obline ; cras mihi poenas  
 68 perfidus ille dabit, gemet ipso in limine Maeon.  
 69 Sistite praecipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
 70 Contere et alcyonis nidum mihi ; pellere ventos  
 71 dicitur et saevas pelagi mulcere procellas.  
 72 Forsitan hic nostros sedabit pectoris aestus.  
 73 Sistite praecipitem, jam sistite, licia, rhombum".  
 74 Hactenus ille ; quid hinc subjunxerit ordine Thelgon  
 75 accipe ; non omnes unus dolor angit amantes.

## THELGON

76 Rupe sub hac mecum sedit Galatea ; videbam  
 77 et Capreas et quae Sirenum nomina servant  
 78 rura procul ; veteres alia de parte ruinas  
 79 Herculis ambusta signabat ab arce Vesevus.  
 80 Exsere caeruleos, Triton, de gurgite vultus.  
 81 Ipse meas, Triton, Nereo deferre querelas,  
 82 ipse potes curva resonans super aequora concha  
 83 et scopulis narrare et fluctivagis balaenis.  
 84 Exsere caeruleos, Triton pater, exsere vultus.  
 85 Hic primos mihi congressus dedit illa roganti,  
 86 hic niveam formosa manum porrexit et (eheu,  
 87 quid recolo ?) tacitos in me defixit ocellos.  
 88 Exsere caeruleos, Triton, de gurgite vultus.  
 89 Huc ades, o mea cura, quid, o quid lenta moraris ?  
 90 Ipse ego te propter socios cymbamque reliqui.  
 91 Exsere caeruleos, Triton pater, exsere vultus.  
 92 Hic tibi consuetas formosior explicat umbras  
 93 Populus ; amplector saepe hanc atque oscula figo  
 94 corticibus, saepe ipsa pedum vestigia quaero  
 95 et, si quid manibus tetigisti, floribus orno.  
 96 Exsere caeruleos, Triton, de gurgite vultus.  
 97 Quem mihi nunc praefers ? Si te juga frondea, si te  
 98 arbuta pascentesque juvant per rura capellae,  
 99 nos quoque non graciles nunc primum jungere avenas  
 100 discimus ; incisae implent mea carmina fagos  
 101 et mea Maenaliis pendet jam fistula silvis.  
 102 Exsere caeruleos, Triton pater, exsere vultus.  
 103 Sin magis arrident haec litora, sin magis alti  
 104 divitiae pelagi, sparsos quis cogere pisces  
 105 doctior aut rigidum dextra jactare tridentem ?  
 106 Exsere caeruleos, Triton, de gurgite vultus.  
 107 Non ego delphinis, te judice, non ego thynnus  
 108 aequore vel medio dubitem certare natando.  
 109 Quid tibi me jactem, cui vix numerare vel hamos  
 110 nunc vacat aut restes onerataque retia plumbo  
 111 et Sinuessano textas de vimine nassas ?  
 112 Exsere caeruleos, Triton pater, exsere vultus.  
 113 Me Ligurum durae rupes, me Gallica norunt  
 114 litora, piscantem pariter me Varus et ingens  
 115 sensit Arar, sensere maris fera monstra Britannii.  
 116 Obrue caeruleos, Triton, sub gurgite vultus.  
 117 Et post haec heu dura fugis ; non te mihi tellus

118        extera, non venti rapuere. Sed accipe munus,  
 119        accipe ; non ultra tecum, Galatea, sedentem  
 120        aspicies. I, laeta novas meditare choreas.  
 121        Obrue caeruleos, Triton pater, obrue vultus.

## VI SALICES - TRAIANO CABANILIO, TROIAE ET MONTELLAE DOMINO

E6        v.1        Si vacat, et blandos etiamnum ventilat ignes  
 2        quae dea caerulea vehitur super aequora concha,  
 3        turrigeramque Paphon, ditemque Amathunta tuetur ;  
 4        accipe flumineas properatum carmen ad undas,  
 5        o mihi non dubia, Cabanili, cognite fama,  
 6        sed longe varios rerum spectate per usus :  
 7        nam tibi me doctae sic devinxere sorores,  
 8        sic mea felici permulcent pectora cura  
 9        ut vix ulla queam melioris tempora vitae  
 10       te sine, vix placidos per noctem ducere somnos.  
 11       En agedum, Trajane, tuis haec praevia jussis  
 12       tractanti, jamjamque animo majora paranti  
 13       da veniam, et tenues ne dedignare Camoenas.  
 14       Forte inter virides (si vera est fama) genistas  
 15       capripedes Satyri, passimque agrestia Panes  
 16       numina, cum Faunis et montivagis Silvanis,  
 17       exercet dum sol raucas per rura cicadas,  
 18       vitabant aestus, qua pingua culta vadosus  
 19       irrigat, et placido cursu petit aequora Sarnus.  
 20       Grata quies nemorum, manantibus undique rivis,  
 21       et Zephyris densas inter crepitantibus alnos.  
 22       Dumque leves aptant calamos, dum sibila pressis  
 23       explorant digitis, tenuique foramina cera  
 24       obducunt, vario modulantes carmina cantu :  
 25       auricomae viridi speculantur ab ilice Nymphae  
 26       dulcia clarisonis solventes ora cachinnis :  
 27       sed prope ferre pedem metuunt, nam saepe labores  
 28       audierant Penea tuos : et qualibus olim  
 29       infelix eheu virgo Nonacria fatis ;  
 30       infelix virgo (quid enim non illa moveret ?)  
 31       Pana metu fugiens e vertice Cyllenaeo,  
 32       Pana deum Arcadiae, quamvis pulcherrima, quamvis  
 33       Dianae sacros inter lectissima coetus,  
 34       nodosa tenerum mutarit arundine pectus.  
 35       Quas simul ac nemorum petulans, effrenaque pubes  
 36       semiferi videre per herbida prata vagantes,  
 37       occultamque imis flammam traxere medullis :  
 38       sic timidas blandis hortantur vocibus ultro :  
 39       huc, huc, o tenerae placidissima turba puellae,  
 40       quid procul adstatis ? Potius succedite ripae  
 41       et viridi in prato molles de more choreas

42 ducite : quandoquidem calamos inflamus inertes  
 43 et frustra ad surdas jactamus carmina silvas.  
 44 Illae nil contra : celeri sed nuda parabant  
 45 crura fugae, tutosque agitabant mente receptus,  
 46 si qua forte viam per saxa irrumpere, et altis  
 47 evasisse jugis, deus aut sua fata dedissent.  
 48 Tum juvenes : procul o, clamant, procul iste, puellae,  
 49 sit timor, ignavas animo depellite curas,  
 50 nullae hic insidiae, nullae per aperta latebrae :  
 51 cuncta patent : nullas abscondunt haec loca fraudes.  
 52 Nos quoque non Lernaë monstris, non igne Chimaerae,  
 53 Scyllaeisve lupis geniti aut latrante Charybdi,  
 54 qui vestra immani laceremus viscera morsu :  
 55 sed divum genus, et qui semper rupibus altis  
 56 vobiscum crebris venatibus insultemus.  
 57 His dictis permulsi animi, securaque tristem  
 58 corda metum ejiciunt, gressuque per uda citato  
 59 prata, deis tandem cupidis ripaeque propinquant.  
 60 Tum manibus simul implicitis per gramina festas  
 61 exercent choreas, aliosque, aliosque reflexus  
 62 inter se laetae repetunt : nunc corpora librant  
 63 in saltus, nunc molle latus, nunc candida jactant  
 64 brachia et alterna quatiunt vestigia planta.  
 65 Hic Satyri, quamquam voces audire canentum  
 66 crudeles, quamquam niveas spectare papillas  
 67 exsultant, oculisque bibunt sitientibus ignem :  
 68 tanta tamen saevi gliscit vis effera morbi  
 69 pectoribus, praecepsque amor et malesana libido,  
 70 ut calamis sensim ejectis, ruptoque repente  
 71 foedere, surgentes ab humo, vento ocius omnes  
 72 exsiliant : spretaque deum pietate fideque  
 73 ad pavidas Nymphas subitoque horrore rigentes  
 74 invadunt avidi, saevorum more luporum  
 75 qui laetas mediis proturbant lusibus agnas,  
 76 oblitaeque sui passim rapiuntque trahuntque,  
 77 dum viridi in campo cursant aut valle sub alta,  
 78 et custos ignarus abest et amica canum vis.  
 79 Sic illi : at miserae discisso pectore Nymphae  
 80 frondiferam maestis silvam clamoribus implent,  
 81 atque huc atque illuc fugiunt : non saxa neque altis  
 82 tuta putant loca senta rubis : hinc ardua montis  
 83 praerupti juga, diffusos hinc stagna peragros  
 84 Attonitae circumspiciunt : via nulla salutis,  
 85 et jam spes praerepta fugae ; tum denique ad undas  
 86 consistunt trepidae, flavosque a vertice crines,  
 87 cum lacrimis gemituque et flebilibus lamentis,  
 88 abscindunt, Sarnumque vocant liquidasque sorores.  
 89 Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo  
 90 Naiadum, properat vitreae rex caeruleus undae  
 91 Sarnus, inexhaustumque vadis ciet agmen aquarum  
 92 rauca sonans : sed quid Sarnusque aut illa natantum  
 93 agmina Naiadum possint, ubi ferrea contra  
 94 stant fata et duro leges adamante rigescunt ?  
 95 Ergo defectae, cura auxilioque deorum,  
 96 ac caelum pariter Nymphae lucemque perosae,

97 unum illud rebus tandem quod restat in artis  
98 finem optant : jamque in fluvium se mergere adortae  
99 membra reclinabant et aquas prono ore petebant,  
100 cum subito obriguere pedes, lateque per imos  
101 exspatiata unguis radix fugientia tardat  
102 affigitque solo vestigia : tum vagus ipsis  
103 spiritus emoritur venis, indignaque pallor  
104 occupat ora : tegit trepidantia pectora cortex.  
105 Nec mora pro digitis ramos exire videres,  
106 auratasque comas glauca canescere fronde :  
107 et jam vitalis nusquam calor, ipsaque cedunt  
108 viscera paulatim venienti frigida ligno.  
109 Sed quamvis totos duratae corporis artus,  
110 caudicibusque latus, virgultisque undique septae,  
111 ac penitus salices, sensus tamen unicus illis  
112 silvicolas vitare deos, et margine ripae  
113 haerentes, medio procumbere fluminis alveo.